



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Tribunal Poenitentiæ Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut  
Reo Posterior De Confessario Ut Judice**

**Stoz, Matthäus**

**Anno M.DC.LXXXIX.**

§. 2. De errore damnificante.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37144**

ditâ ejus confessione, non absolvit, vel non validè (sive jam culpabiliter, sive inculpabiliter) debet illum adhuc absolvere: & si à priore confessione tantum temporis effluxit, ut absolutio non amplius possit cum illa facere unum aliquod torum morale; vel si dubium est, annon æger interea iterum peccaverit graviter, tunc Confessarius etiam cum aliquo gravi suo incommodo, v. g. confusione, dedecore &c. tenetur illum præmonere; quia ita exigit extrema necessitas, & periculum salutis æternæ, in quo tunc æger versatur, & cui Confessarius debet damnum suæ v. g. famæ postponere, maximè si culpabiliter egit. Nisi tamen æger fuisset antea confessus tantum mea venialia; vel aliquod quidem mortale (sive jam certum, sive tantum dubium) sed jam suscepisset postea adhuc aliud Sacramentum v. g. Eucharistie, vel Extremæ Unctionis. Nam in his circumstantiis consultum quidem est, adhuc præmonere pœnitentem & absolvere; nulla tamen obligatio saltem sub mortali; quia in iis jam desinit necessitas, cum per alind eisdemodi Sacramentum ex attrito, qualis etiam ad absolutionem validam esse debebat, factus sit contritus. Vide de his à n. 175. dictis Bonac. & Coninc. ll. cc. Palao tr. 23. Disp. un. p. 18. §. 2. n. 3. & 4. Lugo de pœnit. Disp. 22. à n. 51. Tamb. de Confess. lib. 3. cap. 8. §. 4. n. 3. Dicast. de pœnit. Disp. 10. à n. 501. multa hic tricantem.

## §. II.

### De errore damnificante.

178. II. Confessarius, qui dixit pœ. R. P. Sto. Trib. Pœnit. Lib. II.

nitenti, illum non esse obligatum v. g. ad restitutionem, cum esset; vel esse obligatum, cum non esset; si id facit cum peccato mortali, tenetur ex Justitia rebus adhuc integris monere pœnitentem. Si unque dictū revocare; vel certè ipse debet ex Justitia compensare damnum inde tertio, vel pœnitenti illatum. Ratio est, quia suo dicto fuit moralis & positiva causa damni; sicut aliis, qui jubet aut consilii alicui, ut faciat, quod ipsi vel alterius est damnosum. Quodsi tale quid dixit bona fide & absque mortali, tunc si comodè adhuc potest, tenetur etiam ex Justitia revocare suum dictum; quia quilibet, si advertit ex sua aliquā actione oriatur, alteri aliquod damnum, & comodè potest impedire, obligatus est ex Justitia, ut impedit; & si non impedit, hoc ipso damnificatio, et si antè non fuerit prævisa nec intenta, incipit tamen ex tunc esse voluntaria, imputaturque illi in peccatum Injustitiae, Lugo cit. Diff. 22. à n. 60. atque ita in praxi esse sequendum & omnino consulendum, fatetur etiam Dicast. cit. Diff. 10. n. 519. quamvis ipse ibid. putet, probabiliter hīc peccati tantum contra charitatem, & non contra Justitiam; sed sufficienter id non probat.

At vero si Confessarius se habeat tantum negativè, non dirigendo pœnitentem, qui purat, se non esse obligatum, cum sit, vel le esse obligatum, cum non sit; tunc videndum est, an pœnitens ab illa Confessarii omissione & silentio moveatur, ad aliquid in suum vel alterius damnum agendum, vel non moveatur. Si non moveatur, Confessarius ad nihil aliud tenetur, quam ut de peccato, si

O

quod

quod h̄c fortè commisit, doleat & con-  
fiteatur. Si autem p̄enitens inde movea-  
tur, tunc Confessarius tenetur de errore  
sua omissionis monere p̄enitentem, sed  
tantum, si commode potest; veletiam  
cum aliquo suo incommodo, si omis-  
sio illa fuit ip̄i mortaliter culpabilis.

179. Et verò quod Confessarius ne-  
gativè se habens teneatur ex charitate  
monere p̄enitentem, patet, quia hæc ob-  
ligat non tantum, ut nemo per suam actio-  
nem; sed etiam ut nemo per suam omis-  
sionem der alteri scandalum, seu occa-  
sionem faciendi id, quod cedit in fa-  
cientis vel alterius damnum, & est, quam-  
vis materialiter tantum, illicitum; ut si ex  
mea omissione audiendi missam alii pu-  
tent, non esse diem festum, & etiam non  
audiant.

An autem Confessarius etiam ex Justi-  
tia teneatur h̄c monere p̄enitentem; &  
nisi moneat, obligetur ad compensatio-  
nem damni illati, revocat Dicastillo *cit.*  
*Diff. 10. n. 519.* in dubium, quia omis-  
sio Confessarii, si moveat p̄enitentem ad  
aliquid in suum vel alterius damnum fa-  
ciendum, moraliter æquivalet, & idem  
est, ac si Confessarius dicat: *non teneris;* vel *teneris;* atqui Confessa-  
rius si contra rei veritatem (sive scien-  
ter, sive ex errore culpabili vel inculpa-  
bili) dicat p̄enitenti: *non teneris;* vel *te-  
neris restituere,* tenetur ex Justitia vel mo-  
nere p̄enitentem, vel ipse compensare  
damnum, quia est moralis & positiva illius  
causa: ergo. Sed facile negatur major.  
Nam et si Caius non solvens debita suis  
creditoribus moveat per suam hanc omis-  
sionem Titum, ut etiam iste sua non sol-  
vat suis; nullo modo tamen omissione

Cajus æquivalet moraliter & idem est, si diceret Titio: *non teneris solvere, non solvas &c.* neque ex Justitia tenetur monere Titum, ut solvat; aut ex Justitia compensare damnum per omissam à Ti-  
tio solutionem ejus creditoribus illatum. Et verò quandonam silentium & omis-  
sio Confessarii possit h̄c haberipro con-  
fessu, & approbatione, facetur ipse Di-  
cast, non posse facile discerni. Unde injecta illius dubitatio ex hoc quoque  
capite parum, vel nihil facit ad usum &  
praxin; sicut nec exemplum, quod uni-  
cum sibi occurrisse scribit, nimur si p̄enitens dicat Confessario: *Ego talem  
contractum invi;* sed quia R. V. bene  
scit esse licitum; de eo non sum sollicitus.  
Quamvis enim demus, quod si Confessa-  
rius sine justa causa h̄c taceat, ipsius tac-  
turnitas sit moraliter idem ac positivus  
consensus & approbatio; quia tamen p̄en-  
itens non scit, an Confessarius habeat,  
vel non habeat justam tacendi causam; an  
non taceat tantum ex oblivione, metu, ve-  
recundiâ &c. ideo etiam non potest per  
illud Confessarii silentium ita moveri, si-  
cuit per positivum ejus consensem & ap-  
probationem; ergo nec oritur utrobique  
par obligatio.

Debet quidem Confessarius p̄eniten-  
tem docere, & monere ex suo officio;  
sed respiciente & ordinato tantum ad bo-  
num p̄enitentis, non item ad bonum  
aliorum; sicut officium Judicis forensis  
aut Gubernatoris, quod ita respicit &  
ordinatum est ad bonum unius, ut tamen  
etiam respicere debeat bonum aliorum  
& communitatis, ergo licet Judex, &  
Gubernator, si quid ex officio debitum  
omittant, & propter ea aliquis damnificet  
alium,

alium, agant contra Justitiam, & ex Justitia obligentur ad compensationem; Confessarius tamen non agit contra Justitiam, nec tenetur ipse quidquam restituere illis, qui ex eo solo damnū accipiunt, quod ipse penitentem non monuit, sicut ex officio suo debuit, de restitutione illis facienda. Lugo l.c. à n. 67.

Simile fere discrimen ostendit Lug. l.c. n. 70. inter Prælatum, Patremfamilias aut Dominum, & inter Confessarium. Nam illi respectu suorum subditorum, domesticorum, aut famulorum sunt caput aliquid politicum, cuius officium est, ita suos regere, ut aliis non sint damno; Confessarius autem respectu pœnitentis non est caput politicum, sed tantum Magister, Medicus, & Judex spiritualis, cuius officium respicit unicè tantum pœnitentis bonum; & quidem non tempora-le, sed tantum spirituale animæ. Unde etiam si pœnitens, cum nihil debeat, aliquid alteri restituat ideo solùm, quia Confessarius illum, sicut potuit & ex officio debuit, non monuit; tunc Confessarius ne illi quidem tenetur quidquam ex Justitia compensare; sed debet pœnitens sibi ipse imputare, quod silentium & omissionem Confessarii fuerit malè in suum damnum temporale interpretatus.

### §. III.

#### De errore mutilante.

180. III. Si denique Confessarius errat solùm circa integritatem confessionis, tunc vel errat positivè, dicendo pœnitenti, eum non teneri speciem aut numerum horum vel illorum peccatorum mortalium hic & nunc confiteri, cum tamen

teneatur; vel errat tantum negativè omit-tendo, & de mortalibus, generatim tan-tum confessis, non interrogando speciem, aut numerum. Si Confessarius priori modo culpabiliter, vel inculpabiliter er-ravit, & postea, cùm errorem advertit, potest sine gravi suo incommodo monere pœnitentem, tunc tenetur eum monere; quia alioquin esset moralis & positiva causa, ut pœnitens contra legem Christi, quamvis inculpabiliter, non confitere-tur integrè. Lugo cit. Diff. 22. n. 74. quem sequitur Dicast. l.c. n. 526. Sed quia mer-itò censetur grave incommodum, ut aliquis seipsum coram alio confundat, ei-que cum suo rubore proprium suum errorem vel delictum manifestet, meritò etiam Suarez, Filliuc. Dian. & alii apud citt. dicunt, regulariter Confessarium non teneri monere pœnitentem.

Et quidem eum, qui inculpabiliter ita erravit, fatetur etiam Lugo l.c. raro te-neri. At verò illum, qui cum peccato mortali ita erravit, putat Lugo obligari non solo præcepto charitatis de vitando scandalo, sicut priorem; sed etiam ipso præcepto de integritate confessionis; ideo ait, eum ab obligatione pœnitentem mo-nendi non excusat, nisi ob tam grave damnum v.g. infamia, quantum si pœ-nitens metueret, non teneretur integrè confiteri. Sed hoc in materia Justitia facilè concedo, quia culpabiliter indu-cens aliquem ad alterius Jus lædendum, contrahit obligationem ex Justitia non tantum monendi de errore inductum; sed etiam id ipsum, quod inductus de-bet, in ejus defectu præstandi. Ille au-tem, qui culpabiliter aliquem induxit v.g. ad contrahendum Matrimonium cum

O 2

voto